



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventurae Episcopi Cardinalis Albanensis,  
Seraph. Doctoris Ecclesiae, Speculum Disciplinae, Et  
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>  
Bonaventura <Heiliger>**

**Antverpiæ, 1591**

De affectu dilectionis. Cap. XIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)

*De affectu dilectionis.*

## CAP. XIX.

**A**FFECTVS dilectionis etiam datus fuit homini, vt diligeret Deum super omnia, & se & proximum suum propter Deum & secundum Deum: & omnia opera Dei diligeret propter factorem, quodlibet iuxta suam dignitatē, & vteretur ministerio creature ad Dei voluntatem & suam æternam salutem, & horum omnium delectationem & vsum referret ad Creatoris dilectionem & cognitionem, donec ad ipsum perueniret in quo viuunt omnia secundum æternam rationem. Sed ille affectus quasi extinctus est, & dilapsus ad amorem carnis & turpis dilectionis: vt iam non diligat nisi pro sua temporali vtilitate, & carnali delectatione, & turpi voluptate. Licet verò vsus carnalis concubitus datus fuerit homini, & mandatus ad prolis propagationem Deo educandæ, & æternam beatitudinem cum Deo & Angelis possessuræ: tamen modò non proles, sed delectatio in hoc opere quæritur, vel pro hæreditatis terrenæ successione, vel honoris augmento, vt plures amici habeantur in terra. Vnde dolent quando paruuli decedunt, qui multo tutius moriuntur post baptismum, antequam per mortale peccatum perdant vitam æternam, quam postea in ætate adulta propter dubium quales futuri sint, & propter multiplices laqueos peccati, quos valde pauci euadunt.

M

De